



Dacus, qui & Danus dicitur, erat tertius comes Tuisconis, qui patrium solum relinquens, occasum uersus in Europam sese cum socijs contulit. Cum itaque ipse quoque grauiter res sibi a Tuiscone commissas administraret, ab eodem regioni circa & ultra Istrum praefectus est, quae a Septentrione parte Sarmatię, a meridie Danubio terminatur. Postea uero Colonia quoque ad mare Germanicum atque Septentrionales insulas ducēs, iuxta aliquos Danorum gentē constituit, quā regionē hodie Danorum rex, inter Germāię principes celeberrimus, feliciter administrat. Veteres aut eius regionis incolas Cymbroſ & Cimerios appellarūt. Hac ratiōe factū ut ea prouincia quam primō incoluit, a Daco Dacia sit uocata, quae hodie magna Valachia, atque pars eius Transsiluania dicitur. Altera uero, in quam Colonias duxerat, Daniæ aut Danimarcæ nomen sortita est. quanquam alij eam a Dano Humbli filio postea denominatam esse uoluerunt, id quod suo loco declaritur. Beros. Zieg.